

**Academia Regia Aboensis  
senatui civibusque M.  
Petrus Laurbecchius,  
poësius ...**

Laurbecchius, Petrus Laurentii,

*82 Aa 16/3*



ACADEMIÆ REGIÆ ABOENSIS  
SENATUI CIVIBUSQUE

M. PETRUS LAURBECCHIUS,

Poëfios Professor Ordinarius & h. t. PRORECTOR,

S. P. P.



2314  
1679. mai 9

*N*escire Mortales diem suum, animumque intratum esse omnibus ad vitam, similemque exitum, Oraculis divinis credimus. Quin Juvenes Senesque, Viros & Feminas, egenos ac locupletes, imò omnium atatum conditionumque homines, in prædam morti cedere, experientia fide quotidiana facit. Quò magis, B. Augustini judicio, mirandum carnis & animæ dulce naturâ confortium erit; quòd, & si omnes Mortis diem affuturum sciunt, plerique tamen differre conantur, etiam qui post mortem beatus se victuros credunt. Sed mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit; nec nimis cita, quam vita beata sequitur. Dissolvi itaque & esse cum Christo desiderium, non impatiens vita, sed delectabilis mors est, quâ sarcina peccati & vita arumnarum deponitur. Vocantur enim ante tempus boni, nè diutius vexentur à noxijs: Mortem, ut peccati præcisionem, homo est elucrat, nè malum esset immortale; ita pœna ipsi in misericordiam cessit. Nescimus, quando hora veniet decretoria: semper proinde vigilemus, ut, quod nescimus quando veniet, paratos inveniat, quum venerit. Serò parantur remedia, cum mortis imminent pericula. Ad talia mortis incerta certâ semper pietatis regulâ se paravit hic beatè defunctus, Dn. ERICUS OLAI TAMONIUS Holmensis, Literarum cum Secularium tum Sacrarum, dum viveret, Studiosissimus, & Regiæ hujus Aboënsis Academiae circiter semiannum, postquam Upsalia vixisset, Civis vita integerrima. Erat ille ab Honestis & probis, quamquam pauperioribus, Parentibus oriundus Holmiæ, Anno Christiano MD. LXXIII. mense Decembri; & annum jam decimum atatis agens Scholæ ibidem Triviali insertus, tanta ingenij diligentiaque in studijs edidit specimen decennio deinde, ut à Præceptoribus alijsque favoribus habitus si idoneus, qui ad Academiam Upsaliensem, pro studiorum uberiore cultu, mitteretur. Itaque 8. idus Februarias anno superiore, Albo Academico Upsalia & inscriptus est; sed vitare cupiens bellicos tumultus in patriâ, huc Abôam proximè elapso autumno 6. Calendas Octobris appulit; mox postridie calendas ejusdem mensis Nationi Studiosorum associatus Smolandicæ, quòd & populares notos alios hic non haberet, & hujus frequentissima Nationis patrocinio se desideraret committere. Sed instabant ei præpropera fata, dum anni vertentis 15. Calendas Martij febrili fervore, omnem Medicorum eludente operam, correptus, ejus vehementiâ septimo post diè extinctus est, animâ frequentibus suspirijs & votis Christo servatori commendatâ. Quando autem exuvias dormitorio inferri curabunt Patriotæ ac Amici, hodiernis sacris Vespertinis; Patres Civesque Academicos eorum nomine officiosè obnixèque rogatum venio, velint, honorem defuncto ultimum habituri, horâ Primâ pomeridianâ, signo campanis dato, in adibus NICOLAI ROKKÿ convenire, ad deducendum funus decenti pompâ in Templum Cathedrale, ubi in Terræ, magna matris, gremium deponetur. Officium hoc humanitatis, alijs occasionibus magis optandis, se summo obsequio demerituros pollicentur. V. P. P. Abôæ 9. Calend. Maji A. O. R. MD. LXXIX.



9/5 1679

Full  
View  
Page.

21713  
E  
M. BETTAM  
Postos Proclama

M. BETTAM  
Postos Proclama

*[Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side.]*